



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola Philippi Belvacensis Episcopi Ad Caelestinvm Papam. De captione
sua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

le emiserunt, sicut dictum est, & ad illud explendū propriæ suppetunt facultates, nisi ex iusta causa omittendum, eos adexequendum quod gratis vouisse dicuntur per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Ceterum de his qui paupertate & corporis debilitate, vel alio iusto impedimento, votum quod emisisse noscuntur, non possunt (sicut conuenit) adimplere, volumus vt, cum super his veritas tibi fuerit declarata, pœnitentia congrua eis iniuncta, licentiam eis tribuas remanendi: eisdem firmiter iniungens, vt, quam cito exequendi votum suum libera eis fuerit attributa facultas, id exequi sine dilatione aliqua non postponant. His vero, quos pro infirmitate corporis tibi constituerit nullatenus posse in propria persona votum suum prosequi, vnam personam idoneam, vel plures (secundum quod facultates eorum suppetierint) ultra mare transmittant in suis expensis, per annum, vel amplius iuxta tuum arbitrium, ibidem in Iesu Christi obsequio moraturas. Datum Laterani secundo Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno v.

EPISTOLA
PHILIPPI BELVACENSIS EPISCOPI
AD CÆLESTINVM PAPAM.

De captione sua.

*Venerabili domino & patri Cælestino summo pontifici Philip-
pus Belvacensis episcopus salutem & obedientię
canonicæ devotionem.*

SVPERNÆ dignitatis fauor felicitatem vestram & multiplices successus euexit in altum, ad memoriam reducens illud legale: Infontes inuitat ad culpam, qui fontes præterit impunitos. Vniuersis ecclesiis iam quasi notorium habetur, quam irreuerenter quamque inhumaniter in dominum suum regem Francorum rex Angliæ iampridem insurrexerit, similis homini qui montem magnum fune circumligatum tentat deiicere, afferens igitur secum ignem & gladium, subnixus etiam apostaticis Braibancenorum cohortibus, patriam nostram irruerat, circu quoque depopulando. Quod cum vidissim, illius legalis non immemor, Vim vi repellere licet, & illius, Pugna pro patria, militum & ciuium cuneis, & aciei procerum

Conc. Tom. 28.

K

immixtus , hostibus irruentibus obuiam exiui. Sed humanis nouerca fortuna consiliis propositum rei sinistro mancipauit effectui. Captus quidem ibi sum , & vinculis graibus & catenis addictus ; nec ordinis dignitas nec Dei reuerentia remedii aliquid vel mitigationis mihi contulerunt. Taliter ergo rex Angliae in christum Domini more lupino sœuire non formidauit ; nec vestris auribus incognitum existimamus. Quid ergo dissimulatis ? Quis pater videret filium errare , & taceret ? Quis virga filium non percuteret , vt gladium non incurreret ? Desperat pater de filio , cum comminatione non corripit vel flagello. Luce quidem clariss elucescit quod rex Angliae , ceterique complices sui , qui violenter manus in nos iniecerunt , dictæ sententiae Canonem inciderunt ; iniurias nobis & molestias enormiter illatas vestræ paternitati lacrymabiliter insinuamus lacrymis nostris : & petitioni clementer descendatis. Indignum est siquidem subiectorum petititionem ad vos directam vacuam reuerti & inanem , qua & humilitatem redolet , & rationis subnixa est præsidio. Nec immunis est a culpa , qui cum potest corriger dissimulat emendare ; nec caret scrupulo societatis occultæ , qui manifesto facinori desinit obuiare. Licet igitur verba doloris totiens multiplicauerim , pater sancte , ne miremini. Ne scit , imo nequit , peccoris claustro dolor assiduus sepeliri. Valeat paternitas vestra.

EPISTOLA XV.

CÆLESTINI PAPÆ III.

AD PHILIPPVM BELVACENSEM EPISCOPVM.

Respondet superiori.

Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei dilecto fratri Philippo Beluacensi episcopo salutem & ab exorbitatione redditum maturare.

SINISTRE licet tibi euenerit , nec mirum. Cunctorum enim meretur odium , qui omnium se in commune approbat inimicum. Praesulem namque pacificum exuens , militem bellicosum induisti : clypeum pro infula , gladium pro stola , loricam pro alba , galeam pro mitra , lanceam pro baculo pastorali , ordinem rerum & seriem peruertens temerarius baiulasti , non vim (sicut alleges) sed virtu-